

PHILOSOPHIÆ CRITICÆ  
DE MALO RADICALI DOCTRINA,

BREVITER EXPOSITA.

---

CUJUS

PARTICULAM POSTERIOREM,

VENIA AMPLISSIMÆ FACULT. PHILOS. AD ACAD. AURAICAM,

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT

*Mag. CAROLUS GUSTAVUS OTTELIN,*

*Ad. Schol., Cath., Aboëns, Ruthenicae Linguae Magister præp.*

ET

*GUSTAVUS WILHELMUS WIRENVIUS,*

*Stipendiarii Publ. Wiburgenses.*

In Auditorio Jurid. die XIV. Maii MDCCXVII.

b. p. m. s.

---

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

MONTE LIBRO SOCIETATIS  
ALBERTI MAGISTER OLAUS

ALBERTI MAGISTER

bona esset. Neque enim in eo consistere potest malum radicale, sive voluntatis indoles prava, quod conceptus finales speciales generamus sequimurque, cum illi instrumenta quasi sint, quae habet Ratio Practica etiam Pura ad normas formandas objectivas atque necessarias, & ad arbitrium ex Lege determinandum. Sed hæc mali radicalis notio, ex qua perspicuum est, (quod heic in antecessum observare liceat), ex ipsa spontaneitatis radice idem originem ducere & alimentum sugere, alio ex contemplandi loco uberiori semet forsitan ostendet luce.

Quoniam normam quamvis realem reddendam comitur sensus quidam & conditio agendi subjectiva, sive sit concupiscentia & cupido, quæ sensualitati tota debetur, sive *approbatio* (Interesse), quæ ex Ratione ortum habet Practica r), patet, ex hac conditione proxime determinari arbitrium. Cum vero arbitrium humanum liberum sit, neque absolute ex his pendeat conditionibus subjectivis, sed eatenus tantum, quatenus easdem caussas effi-

C

cientes

\*) Die Abhängigkeit des Begehrungs-Vermögens von Empfindungen heißt *Neigung*, die Abhängigkeit einer zufällig bestimmten Willens aber von Principien der Vernunft heißt *Interesse*. Vide: *Grundlegung z. Metaph. d. Sitten* p. 38. Conf. p. 122 Not.

cientes constituerit constituantque sui - positio, in æternitate habitans, (quoniam alioquin evanesceret libertas voluntatis transcendentalis, quæ ex Lege sequitur supra exposita) s), efficitur, easdem non esse posse caussas arbitrii mechanicas; quare neque caussæ vocantur, sed *Elateres* t), quorum ea est natura, ut quamvis arbitrium determinare videantur, neque tamen ipsi per se caussalitatem efficiant, nisi interveniente sui positione transcendentali, quæ eosdem assumit & jamdiu in æternitate assumit, inter semet componit & in arbitrium agere sinit; quo in ipso munere sustinendo character semet jam exserit & ostendit voluntatis, sive valendi actus.

Elaterum vero quoniam duo esse possunt genera, a se invicem prorsus distincta, quorum alterum sensualium est & intellectualium, qui amore sui utpote phænomeni cogitantis comprehenduntur & ad felicitatem tendunt u), alterum vero intelligibilium,

s) Conf. *Critik der Praktischen Vern.* p. 51 seqq..

t) Conf. Lib. nuperrime cit. p. 127 seqq. nec non: *Die Religion &c.* supra cit. p. 12.

u) Referri possunt hi ad duo principia distincta. Alii enim ex dispositionibus orti sunt hominis, utpote animantis; alii ex dispositionibus ejusdem ad humanitatem; quarum

gibilium, seu e Ratione Practica *Pura* proficiscen-  
tium, qui in reverentia Legis sive ideæ Legislatio-  
nis universalis, seu sui utpote legem ferentis, siti  
sunt; in eo vertitur cardo rei, in eo indoles vo-  
luntatis, utrum genus tamquam primarium consti-  
tuamus homines liberi. Utrumque enim in homi-  
ne quovis adest, cum non possit Lex sancta, quin  
observantiam erga semet excitet x), neque esse  
mortalis, quin se, genus suum & gloriam suam,  
vel famam saltim, diligat. Neque vero ambo ge-  
nera ejusdem habere potest quispiam pretiū, quo-  
niam sibimet invicem særissime repugnant, qua-  
re, quotiescumque in contentionem venirent, mul-  
la oriretur arbitrii determinatio. — In eo igitur  
perversa nostra ponenda est natura, quod primo  
jam, quo nostri consciī agimus, tempore, & sem-  
per tota sub vita terrestri, in amorem nostri ma-  
gis sumus propensi, quam in legis reverentiam;

C 2

seu,

illæ nobis cum brutis sunt communes, hæ vero intellectui  
solummodo debitæ, quæ ambæ necessariæ sunt, quo  
homo sit homo. Vide: *Die Religion innerh. d. Grenzen*  
*d. blosßen Vern.* p. 15 seqq. *Conf. De Originariis naturæ*  
*humanæ initii facultatem appetitivam respicientibus.* Disfert.  
Cujus P. I. Præside Prof. Cel. A. J. LAGO 1814 edidit  
F. HOLM.

x) Vide: *Grundl. z. Metaph. d. Sitten*, p. 16; nec non:  
*Crit. d. Practischen Vernunft*, pp. 130-135.

seu, quod eodem redit, & quod supra ostendimus, in eo originarie peccavimus peccamusque, quod fines speciales conditionem statuamus, actu transcendentali, in æternitate manente, finis ultimi, qui summa esse deberet conditio. Talis enim si nostra non esset indoles subjectiva suprema, neque opus haberet Ratio Pura Practica malleo Legis, nec imperativis categoricis, quoniam hæc omnia, obligandi vim in se concludentia, in sanctam voluntatem, quæ Legem habet conditionem summam, applicari nec possunt nec debent; nemo enim obligari potest, nisi qui invitus bonum efficiat y).

Ne-

- 
- y) Hinc etiam colligi potest, quantum damni generi humano afferrant morum Doctores, qui Philautiam principium agendi faciunt ultimum, hominem suam querere felicitatem jubentes. Ut enim absonum illud prætereamus, quod tali in principio jacet, cum iusfu priorsus non sit opus, ubi adest inclinatio, bene moratum solummodo hominem reddere possunt, minime vero moralem. Moralitas autem ita solummodo adest, si utitur voluntas reverentia sui, utpote Legislatricis, unice & primarii elateris instar, ita ut eadem sola determinetur arbitrium, seu si sola Legislationis idea satis est valida ad arbitrium definiendum. Ea felicet sola ratione legem non secundum litteram tantum, sed ad genium, sequimur. Quid? quod veræ moralitati obstat atque officere omnibus defudant viribus utilitatis commendatores isti, quoniam ex amoris sui principio, tamquam ultimo aslumto, plurima emana-

Neque igitur in eo ponendum est malum illud, quod examinamus radicale; quod sensus in universum habeamus & dispositiones, in res externas directas. Hæ enim dispositiones nostræ non debentur operæ, neque per se sunt malæ, sed e contrario negative bonæ & ad bonas actiones non parum conferentes z), quare nulli nobis vertuntur vitio; id quod de malo semper valet morali, cuius  
ge-

runt repullulabuntque, de quibus querimur infortunati, mala & injuriæ. Legalia vero quamvis ex eodem interdum proficiunt facinora, contingens est idem, nec necessarium; in eodem enim principio vitiorum & malæ actionis cujuscunque querenda potius est scaturigo; quod vel inde videtur, cum malum ipsum primitivum, ut ex superioribus forsitan elucet, in nominata jaceat & pingue sciat Solipsismi norma. Conf. KANT *Crit. der Pract. Vern.* p. 269 seqq. Observandum vero heic nobis esse putamus, ne male nos interpretetur quis, distinctionem propter tenendam esse cuivis, quæ inter felicitatem intercedit & beatitudinem, quarum illa mundana amplectitur, hæc suæ pramundana. Neque tamen e beatitudine facile elicuntur posunt Leges quædam actionum.

- z) Alle diese Anlagen (dispositiones ad conservationem Individui, Generis & societatis hominum inter homines, ad humanitatem & ad personalitatem) im Menschen sind nicht allein (negativ) *gut*, (sie wiederstreiten nicht dem Moralischen Gesetze) sondern sind auch Anlagen zum Guten (sie befördern die Befolgung desselben). Vide: *Die Religion &c*, p. 19.

generis esse debet etiam radicale istud. Neque in eo, quod inclinationes in universum habeamus & cupidines; earum enim in arbitrium nullus esse potest effetus, nisi voluntate elateres valentes fiant & constituantur. Quid? quod alimentum etiam porrigit virtuti, quæ iisdem sublatis non in actione consisteret & vi, sed quiete quadam & pace. Virtus autem vera in pugna cernitur & vi inexpugnabili, inclinationibus dominante. Sed in eo posita est perversitas nostra, quod amor sui in complacentiam sui abiit, abireque conatur.

Neque eo efficitur perversa nostra natura, quod Ratio corrupta sit & occæcata. Quæcere enim possumus & urgemur, quid honestum sit, quid turpe? Ipsa vero quæstio hæc non nisi ex Ratione Pura proficisci potest, quoniam necessario semet nobis obtrudit; quare eidem respondere etiam possit Eadem, necesse est, cum non sit quæstio necessaria, nisi responsum potentialiter præsens. Procul igitur a nobis absit opinio ista animum abjiciens, procul quæ ex eadem oritur infirmitatis rationalis quærela! Scire enim possumus & perspicere, mortales quamvis simus, quid honestum sit, quid secus; malum a bono semper & ubique distinguere valemus, nos solummodo si non ipsi decipiamus.

Ne-

Neque in eo collocanda vitiorum omnium origo & fons, quod malum petat homo mali observationem; quodque factiosus sit consulto & rebellis *aa*). Concius enim est caussalitatis suæ spontaneæ, quare etiam legem ejusdem cogitet, necesse est, cum vim absque Lege sua sibi repræsentare absonum sit. Quod si malum peteret mali obcaussam, atque sic diabolus fere esset (Diabolus enim malo morali latatur & exultat) necessum esset, Legem caussalitatis suæ morali illi contrarie oppositam agnoscere; quare neque reverentiam sentiret Legis moralis, neque conscientiæ haberet aurem. Hoc vero boni stamine cum gaudeat quisque, ut non possit, quin in jucundissimo voluptatum gyro horrescat, semet ipse despiciens, certi etiam esse possumus, nos non nisi deceptione & mendacio proprio falsos malo laborare, neque prorsus esse amissos, si ingenue coram nobis ipsis de nobis confiteri velimus. Consistit autem mendacium istud in nihilo, nisi in eo, quod individualitatem nostram centrum faciendum esse omnium, quæcunque petenda sint, nobis persuadere conemur, conscientiam ad silentium comprimere catagentes. Hinc patet non tam *malevolentiam* absolutam esse posse reatum originarium, quam potius vitiositatem, vel *cor detorsum*, ubi tamen vis adhuc operatur semet rectum efficiendi.

Ne-

---

*aa*) Conf. Lib. nuperime cit. p. 31 seqq.

Neque magis in privatione & defectu ponendum est malum radicale, vel in eo, quod limitibus obnoxii creature sint mortales *bb*). Sic enim imperfectio solummodo & negatio esset mera, nobis minimae culpæ vertenda, cum ejusdem non simus ipsi auctores. Cum vero jam nullis creaturis, solo homine excepto, tribui possit malum hocce, cumque homo non limitatissimus, sed perfectissimus, sit omnium rerum creatorum, oppido patet, positivum quidpiam, veræ positivitati contrarie oppositum, perversitatem scilicet & *ἀταξίαν* virium, id ipsum efficere, quod malum dicimus radicale.

Hæc autem ataxia in eo, ut supra ostendimus, consistit, quod talis jam infantibus, simulac nostri concii sumus, adest voluntas, quæ ordinem mutat & conceptuum finalium & elaterum, ita ut repræsentationem, quæ jucunditatem spectet, primariam constituerimus constituamusque, Rationi non nisi famulae vices tradentes, seu ut felicitatem conditio-

nem

*bb*) Hanc conceptus malitiæ originariæ expositionem, quam in medium jam produxerunt Patres Ecclesiastici, acerimo ingenio tentavit LEIBNITIUS Summus. Vide: *Essai de Théodicée sur la Bonté de Dieu, la liberté de l'homme & l'origine du mal.* Amsterdam 1712, in primis pp. 132, 140 - 146. Conf. F. W. J. SCHELLINGS Philosophische Schriften, p. 443, 445,

nem statuamus actionum Legi congruentium, Ratione eo solo modo utentes, ut harmoniae speciem quandam jucu ditatis in requisitis stabiliamus, aquam ex pumice extorquere conantes — In *perversa* igitur latet initiorum facultatem appetitivam respicientium, sive dispositionum, quatenus animans, intelligens & persona est homo, forma & conjunctione, qua sola dispositionibus ad vitam & famam tuendam, per se quidem innocuis, immo ad bonum tendentibus, infarciri possunt vitia & indecora quævis cc). Ut enim bonum morale seu honestas in vera consistit & genuina dispositionum harum forma & conjunctione, quæ conditio est personalitas omnium conatum postulationibus animantis & cogitantis satisfaciendi, sic ataxia illa, seu forma perversa, nihil involvere potest, nisi propensionem, ea quæ animanti & cogitanti placeant, iis præferendi, quæ personalitatem constituant; unde etiam *propensio in malum morale* jure dicitur morbus, quo omnes laboramus homines urente & tabifico dd). — Hac nempe sola ratione fieri potest,

D

ut

cc) Auf sie (Die Anlage für die Thierheit) können allerley Laster gepropft werden (die aber nicht aus jener Anlage als Wurzel, von selbst entspringen). Vide: *Die Religion &c.* p. 16. Conf. p. 17 ubi de dispositionibus hominis ad humanitatem idem dicitur.

dd) Distinguamus necesse est propensionem a dispositione &

ut sit homo turpis, malas patratus actiones. Cum enim habeat quisque reverentiam Legis, imo inspectore domicilium & thronum sibi quærentem, quæ proprietas ad dispositiones hominis, tamquam hominis, necessario pertinet, neque vero elateribus sensualitatis non impellatur arbitrium ejus, bonus & malus esset simul, si horum non uteretur forma & subordinatione mutua, certa & definita. Æque valens nempe utrumque genus esse nequit, ut supra commemoratum est, quod vel ex eo patet, cum per se, absque propria nostra opera, querat Lex dominium. Forma vero non nisi duplicitis esse potest indolis, genuina scilicet & perversa. Si igitur jam est homo malus, id eosolum ex fonte effluit, quo elateres subjectivi, cupidines nimirum & approbationes singulares, obiectivo motivo, seu Legis approbationi, ipso jam in infante præpositæ sunt totumque subdomant ani-

ab *inelinatione*. *Dispositio* igitur initium est facultatis appetitivæ determinandæ, nobis propria absque opera inditum, quare ex conceptu hominis in universum elicere potest. *Propensio* vero conditio est subjectiva, vel præ-dispositio ad fruitionem appetendam, quæ, si accesserit experientia, *inclinationem*, hoc est concupiscentiam habitualem, producit. Est propensio nobis, quales jam sumus, quidem communis, neque tamen non parta & acquisita, atque humanæ naturæ generatim fortuita. Vide Lib. numerime cit. p. 20. 21.

animum. Hoc enim solo assumto, (quam ad rem admittendam ex mali radicalis necessitate subjectiva cogimur) perspicuum fit, quomodo indecora & turpia quævis generentur. Quod si ceteris Elateribus præalent, qui in dispositionibus animantis continentur, amor scilicet individui sui, generis & communitatis ejusdem, ruditis sit homo, agrestisque & in vivendi ratione nimis solutus, bestiis deterior, quæ quamvis natura in humum sint pronæ, modum tamen sequuntur quendam. Intellectus vero si præminent requisita, doli & falsitatis maculis corrupta est mens intima, quantumvis cumque contus beneque moratus videatur homo ee). Quorum nihil adisset, si reverentiam Legis summam faceremus agendi conditionem. Sic enim personalitati operam navantes, pretium haberemus in nobismet ipsis absolutum, quod alias externis in rebus temere & frustra quærimus; neque tamen eodem gloriaremur, cum insolentiam & jactationem prohibeat Legis severitas. Verbo, σωφροσύνη omnia coronaret facinora nostra, cum nihil habere nec efficere vellemus, nisi quod Deo placet Optimo, qui moderatione omnia regit Absoluta ff).

D 2

Per-

ee) Conf. *Die Religion &c.* pp. 16-20, nec non 28-29,  
ubi exemplorum habes satis.

ff) Est enim *moderatio* ex ceteris tribus virtutibus cardina-

Perversi vero characteris *τε* velle humani fæx  
enucleata quamvis cuivis insit homini, diversi ta-  
men adesse possunt gradus ejusdem. Horum au-  
tem tres rite statuit Cel. KANTIUS *gg*), quos, quo-  
clarior fiat conceptus mali radicalis, proponamus.

Infimum & levissimum, quo semet ostendit  
perversa voluntatis indoles, in eo jure ponendum  
esse arbitramur, quod infirmi simus homines ad  
normas ex Lege, tamquam conditione ultima, de-  
ductas ita sequendas, ut alios quosvis posthabeamus  
fines, sensualitati, in universum sumtæ, suum  
debentes pretium. Hæc enim *fragilitas* moralis,  
cui propriis viribus numquam possumus *prorsus*  
mederi, phænomena donec sumus, malum jure  
nominatur morale, quoniam malarum actionum est  
scaturigo uberrima, & cum Lex jubeat eandem  
cum robore ita esse commutandam morali, ut non  
modo non fontis instar exsiliat, sed ut ne obsta-  
re quidem possit bono.

Alterum autem gradum mali, priori proximum  
& cognatum, quem *impuritatem moralem* inscribit  
Cel. KANTIUS, qui in eo consistit, quod incurio-  
siores

libus apta, ut dicit CICERO. Vide: *Dē finibuss bonorum  
& malorum Lib. II. Cap. 14 ad finem.*

*gg*) Vide: *Die Religion &c. pp. 22, 23.*

siores sumus elaterum arbitrium determinantium, dummodo legalia sint facinora nostra, quis est, qui ad perversam voluntatis indolem numeret? Ex eo enim ipso, quod bonum non facile exerceamus boni ob rationem, quod multo magis Legem agere credimus, seu potius nobis persuademus, ubi revera operantur impetus subjectivi, quodque sic fucum nobis ipsi facimus, agendi rationem velamine, pulchritudinem simulante, tegentes, qualis efflorescit conditio nostra! Nonne simulationis macula haec, infanti jam inusta, atra eadem & detestanda, mali moralis jure dici potest clypeus & robur? Cor etenim somno tradens dulci, id efficit, ut veram μετανοειαν in aliud semper differamus tempus, nobis placidi; ut malum infinitum promovendum ipsi curemus. Quomodo enim, quaesumus, potest is, qui de se mentitur, bonus fieri? Quomodo de charactere suo emendando cogitet, qui eundem optimum esse somniat, atque honesti semper immerito prae se fert personam? Immo vero Phariseus est genuinus.

Summum vero malii radicalis cacumen, proprietates jam expositas tætras, quæ culpa sola adesse judicari possent, eo magis foeditate superans, cum easdem etiam suo in gremio contineat *hh*), quod  
do-

---

*hh*) Ut enim nostram fateamur sententiam, primarius est hic gra-

*dolo* existere censendum est malo, propensio efficit positiva, elateres ex *Lege morali* ortos non-moribus postponendi, ordinemque moralem perversi tendi; quæ animi *corruptio* & *vitiositas* omnem amplectitur & dirigit libertatis usum. Inde enim inclinationum & passionum surrepit dominium, immo etiam inde indecora omnia & inhonesta, immo etiam illegalia & injusta.

Malum igitur supra enucleatum qua alia, si omnia inter se rite comparainus, continetur re, nisi proposito, semel sponte sumto, & temporis momento quovis retento, immo etiam stabilito & adjuto, individualitatem nostram cardinem habendi, in quo vertantur omnia; i. e. in agendi norma perversa, quæ omnem amplectitur libertatis usum? Proprias enim normas examinantes ex una ad alteram, ut rationem ejusdem, quamvis semper delegemur, in dubium tamen vocari non potest, quin in ultima quadam prava, a nobis ipsis tamquam suprema extra tempus assumta, malum nideletur hominis originarium seu radicale, quoniam ne *malum* quidem dici posset, neque ad calculos coram conscientia vocaretur, nisi proprium nostrum

dus, *dolo*, h. e. *sui-positione* morosa, ortus & retentus. Eodem plane liberari possumus; manent vero ceteri, magis minusve, quoad vitam degemus terrestrem.

strum esset opus. Nihil vero nostrum, utpote conscientiarum, est proprium, nisi unitas & regula summa, qua mediante etiam normae eidem subditæ nostræ sunt. In nihilo igitur quærendum est, nisi in unitate illa perversa, qua conditionatum factum est fiatque, quod per se conditionis fungi deberet munere *ii*). Hanc vero unitatem non tam arbitrii efficere normam, quam voluntatis regulam subjectivam, oppido patet, cum pendeat illinc omnis voluntatis actus.

Si igitur jam quæritur, unde orta sit eadem, cum in tempore non esse possit acquisita, cumque ex mechanismi legibus, quoniam imputatur, nullo modo nec umquam queat explicari; jure quam maximo respondet C. l. KANTIUS: *ex ipsa spontaneitate, ejusque actu kk*). Cum vero voluntatis actui cuivis,

ut

---

*ii)* Conf. F. W. J. SCHELLINGS *Philosophische Schriften* pp. 438-441; nec non sequentia KANTII: Der Mensch ist böse (von Natur) kann nach dem obigen nichts anders sagen wollen, als: er ist sich des Moralischen Gesetzes bewusst, und hat doch die (gelegentliche) Abweichung von demselben in seine Maxime aufgenommen. Vide: *Die Religion &c.* p. 26.

*kk)* Vide: Libe cit. p. 39 seqq. *Intelligibile That, Vor-nunft Ursprung* eum vocat KANTIUS. Nos eundem jam supra anticipatione quidem, sed necessaria, quo distin-

ut vidimus, præcedat, hæc alio modo in una conscientia nec conciliari nec comprehendi potest *au-  
tinomia*, seu potius *amphibolia actus*, nisi assumatur actus intelligibilis, omni tempore prior, sola Ratione tenendus, ex quo derivatus est actus quivis voluntatis specialis. Hic igitur actus peccatum est originarium, quod in toto suo robore & cuncta fœditate semper manebit, si de peccatis solummodo derivativis satagimus evitandis. Propensio audit idem, non dispositio, quoniam nulli debetur naturæ vi; & ataxia est ipsa, de qua supra locuti sumus. Quod cum ita sit, & si ex ipsa spontaneitate tamquam radice vitam & alimentum habet malum radicale & congenitum, quomodo, quæso, illinc destruetur arbitrium liberum? Quid contra idem ex mechanismi disseri potest legibus, quæ de rebus in tempore valent? Sedet enim intima nostra Essentia, arbitrium per volendi actum determinans & nunc & semper in æternitatis regno, aut anxie ovans aut devotissime triumphans.

*Radical*, vero nihilominus dicitur malum hocce, seu congenitum & originarium, non solum quoniam omnes, ut ex superioribus forsitan elucet, perdit & corrumpt normas, sed etiam quia cum tota

Alius nosmet exprimeremus, signifi cavimus, *sui positi-  
zem illum nominantes. Cont. not. o ad calcem.*

tota nostra existentia in tempore intime est contextum, ut *prorsus* extirpari non possit, cum prohibeat idem, quod summa voluntatis norma perversa est *ll*). Cave igitur putas, nos homines quamdiu hac in vita sumus, nosmet posse bonos & perfecte emendatos umquam dicere. Recurrit enim temporis momento quovis propensio illa in malum, cum radicem habeat & corporis & animi habitus eandem *mm*); quare permanebit malum donec corpore instructi erimus eodem. Cum autem postulet & urgeat Lex absoluta, nec umquam irrita habenda, a nobis malum esse delendum & bonam indolem induendam, hoc etiam perfici possit, necesse est, cum ad impossibilia nemo obligetur *nn*).

E

Fiet

*ll*) Vide: *Die Religion &c.* p. 35.

*mm*) Die Schwierigkeit, welche diese Aufgabe (die Gemeinschaft der Seele mit dem Körper zu erklären) veranlaßt hat, besteht, wie bekannt, in der vorausgesetzten Ungleichartigkeit des Gegenstandes des Inneren Sinnes (der Seele) mit den Gegenständen äusserer Sinne — Bedenkt man aber, daß beyderley Art von Gegenständen sich nicht innerlich, sondern nur, sofern eines dem anderen äusserlich erscheint, von einander unterscheiden — so verschwindet diese Schwierigkeit. Vide: KANT, *Crit. d. Reinen Vernunft* p. 427 - 428.

*nn*) Gleichwohl muß er (der Hang zum Bösen) zu überwiegen möglich seyn, weil er im Menschen als freyhan-

Fiet igitur idem eodem ferme modo, quo ortum est malum, mente scilicet, *actu intelligibili*, convertenda & propo-*ito* capiendo retinendoque, perverso isti contrarie opposito, firmo eodem & efficaci, Legem sumnam habendi actionum conditionem; id quod facere possumus, quia nihil nos determinat, quin potius ipsi nosmet definiamus *oo*). Hoc enim modo si dignos nos fecerimus Gratia Divina, certi etiam esse possumus, fore, ut in nos perficiatur actus, ei conformis, de quo, tamquam Universi ordinem & harmoniam efficiente, jam loquitur PLATO: βεληθεις γαρ ο Θεος αγαθα μεν παντα, Φλαυρον δε μιδεν είναι κατα δυναμιν, ούτω δη παντόσον ήν ορατον, παραλαβων, ουκ ισουχιαν αγον, αλλα κινουμενον πλημμυρως ηδη ατακτως εις ταξιν αυτο ηγαγεν εκ της αταξιας *pp*). Quod vero quomodo fiat omnem

no-

---

deindem Wesen angetroffen wird. Vide: *Die Religion &c.* p. 35.

*oo*) Conf. Dissertationem: *De Emendatione Morali.* Præside Cel. Prof. A. J. LAGO a Fr. Grönholm 1815 editam; nec non finem Articuli: *Vom radicalen Bösen in der Menschlichen Natur, in die Religion &c.* sup. cit. reperiundi, ubi p. 48 incipit doctrina: *von der Wiederherstellung der Ursprünglichen Anlage zum Guten in ihrer Kraft;* æque ac Art. ibidem inveniendum: *Von dem Kampf des Guten Princips mit dem Bösen.*

*pp*) Vide: *PLATONIS Philosophi quæ exstant:* Vol. IX. Bipponti 1786. p. 305, quem etiam locum in *Geschichte der*

nostram superare intelligendi facultatem autumat  
Cel. KANTIUS qq).

His si in aprico collocatum est, qua in re  
consistat malum nobis insitum & cur liberum ar-  
bitrium, immo spontaneitas transcendentalis, nihi-  
lominus salva maneant, atque si allatis intimam  
Doctrinæ Criticæ de malo radicali notionem strictim  
comprehendere & proponere valuerimus, punctum  
nos omne tulisse putabimus.

---

*Philosophie von W. G. TENNEMANN* Acht. Band. Erst.  
Hälte, Vorrede p. 32, allatum invenies.

qq) Vide: ex. gr. *Die Religion &c.* p. 49, ubi legitur:  
Wie es nun möglich sey, daß ein natürlicherweise bö-  
ser Mensch sich selbst zum guten Menschen mache, das  
übersteigt alle unsere Begriffe; denn wie kann ein böter  
Baum gute Früchte hervorbringen.

---